



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Hierarchia & Chori Angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

nio hodie prorsus obsoleta est, Erroris tamen, nedum haeresis, accusandus non est, qui asserit Diabolum, & ejus Angelos nondum extremo, & summo ignis supplicio cruciari. Certè Synodus FLORENTINA in Decreto Fidei, de hominum duntaxat animabus constituit, eas se quæ in lethali peccato sive personali, sive originali decesserint, mox ad inferos descendere, ibique pœnas, licet inæquales, pendere. Ita PETAVIUS L. 3. de *Angelis* c. 4.

γ) Ad numerum Angelorum damnatorum quod attinet: Ss. Patres ex *Apoc.* c. 12. *Ecce draco magnus . . . & cauda ejus traherat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in tartarum;* colligunt, magnum Angelorum numerum peccasse, ita tamen, ut plures Deo fideles persisterint, diabolum vero inter peccantes Angelos supremum fuisse, quin tamen summum inter omnes cœlestes spiritus dignitatis locum obtinuerit, quod VV. multi ex *c.* 28. *Ezech.* arbitrati sunt.

§. III.

De Hierarchia, Tutela & Infestatione Angelorum.

17. Hierarchia. Angelos omnes in Hierarchias tres, harum singulas in tres ordines primus distribuit DIONYSIUS. Hierarchia autem ex ejusdem placito est *Sacer ordo, & scientia actioque, ad divinam similitudinem quoad licet, accedens, & pro commissarum ipsi divinitus illustrationum ratione ad Dei se imitationem efferens.* Qui itaque Hierarchiam dicit, sacram quamdam universe ordinationem significat, ad divini illius decorem Principatus expressam, & in hierarchicis ordinibus, ac scientiis propriae illustrationis mysteria sacris ritibus administrantem, ac suo principio, quantum fas est, assimilatam. Nempe sicut Dei proprium est purgare, illuminare, ac perficere; sic Hierarchia, h. e. Principatus sacrorum iis, quibus inest, eadem illa præstandi vim & facultatem adfert, sicque efficit, ut ad

NATURAE ANGELICAE. 33

ad quamdam Dei similitudinem aspirent. Vulgaris notio *Hierarchiæ* est, quòd sit Principatus sacer, sive collectio personarum ad sacras functiones destinatarum sub aliquo Principe; verùm, ut notat S. MAXIMUS, Principatus Sacrorum potius dicit debet, ut adeo sit *gubernandorum sacrorum potestas & functio*; Hierarcha verò, qui sacris præest, eaque curat, ac moderatur. Tria autem perfectam Hierarchiam constituunt: *potestas* sive *jus ordinandi*, quod in diversis subjectis ad Hierarchiam spectantibus pro eorum gradu diversum est, veluti in Episcopo, Presbytero & Diacono; dein *Scientia*, sine qua sacra ritè ordinari non possunt; denique *functio* ex legitima potestate profecta, qua fit, ut Hierarchiæ scopus obtineatur, qui est similitudo & conjunctio cum Deo, quatenus illam assequi licet.

a) Supremus Ecclesiæ Hierarcha est Romanus Pontifex: dein illustriores Hierarchæ sunt Episcopi, quos purgandi, illuminandi, perficiendique scientiâ præditos esse oportet. Tum Presbyteri, Diaconi, ceterique, qui sacras functiones cum potestate obeunt, ideoque & isti necessaria ad munus suum rectè obeundum scientia instructi sint; necessum est.

Chorus, sive *Ordo* hic designat collectionem magis specialem Angelorum, peculiarem quamdam similitudinem in eodem munere inter se habentium. S. DIONYSIUS L. de cœlesti Hierarch. tres statuit Hierarchias, totidemque per singulas Angelorum Ordines: In 1ma *Seraphim*, *Cherubim* & *Throni* censentur. In 2da *Dominationes*, *Virtutes* ac *Potestates*. In 3tia *Principatus*, *Archangeli*, *Angeli*. Primi igitur sunt *Seraphim*, sic dicti, quòd

Tom. II.

C

quòd

quòd igneo quodam inflammato ardore in Deum rapiantur, eodemque calore inferiores Angelos succendant, & luce suâ collustrent; unde & DIONYSIUS eos *calescentes* interpretatur. Proximi sunt *Cherubim*, quod vocabulum *profusionem*, aut *multitudinem sapientia*, vel *scientia* denotat. *Throni* dicuntur ob celsitatem, qua supra infima quæque confurgunt, nihilque sapiunt humile toto conatu in Deum evecti. *Dominaciones* ad Dei imitationem summum in omnia dominatum exercent. *Virtutum* appellatio virilem quamdam inconcussamque fortitudinem significat, qua in omnibus suis actionibus prædita, divinas quasvis illuminationes capiunt, vigoremque suum in inferiora derivant. Ss. GREGORIUS, & BERNARDUS *Virtutes* eos putant esse Angelos, per quos signa & miracula frequentius patrantur. Vel etiam nomen inde sortiti sunt, quòd tamquam milites instructi ordinatique contra Dei hostes excellenti quadam ratione pugnent. *Potestates* vocantur, quibus aërii spiritus insigniter subiecti sunt. *Principatus*, quorum moderamine & sapientiâ omnis in terris Principatus constituitur, regitur, mutatur, aut roboratur. *Archangeli*, qui mysteriorum divinorum conscii, nonnisi magnis de causis ad ea nuncianda mittuntur, & *Angelis* præsumt minima nunciantibus.

19. *Dari inter Angelos Hierarchiam quamdam,*
 An- & *ordinem superiorum ac inferiorum secundum*
 gelo- *varios officiorum gradus certum est.* Nam ipsa
 rum S. Scriptura varios Angelorum ordines distinguit.
 cheri Et primò quidem de *Seraphim* mentio fit Isa. 6.
 no- v. 2. *Seraphim stabant super illud (templum) . . .*
 vem. & *clamabant alter ad alterum; & dicebant:*

San-

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. De Cherubim Ezech. 10. v. 3. *Cherubim autem stabant à dextris domus.* Et v. 7. *Et extendit Cherub manum de medio Cherubim.* De Thronis ad Coloss. 1. *In ipso condita sunt universa, sive Throni.* De Dominationibus, Virtutibus, Potestatibus & Principatibus ad Ephes. 1. *Ubi Christus à mortuis resuscitatus dicitur constitutus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem.* De Archangelis ad Thess. 4. v. 15. *Quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo.* De Angelis ad Hebr. 1. *Cui Angelorum dixit unquam: Filius meus es tu? ut adeo ex plurimorum PP. & communi TT. sententia novem sint Angelorum Chori, sive Ordines.* Utrum verò ista Ordinum diversitas *substantialis* sit ex ipsa naturæ Angelicæ specifica diversitate descendens, an *accidentalis* munerum duntaxat, & officiorum; non omnino certum est. Cæterà superiores Angeli dicuntur *purgare* inferiores, vel quatenus rerum quarumdam notitiam his communicant, atque ita simplicem earundem ignorantiam auferunt; vel (ut placet Guilielmo Parisiensi in 1. 2. c. 198.) quia superiores aliis splendidiore, divinoque propinquiores lumini, cæteros luminis sui abundantiam illustrant. *Illuminatio Angelica* fit, quando superiores inferioribus rerum divinarum intellectionem immediatè communicant. Hac ipsa ratione inferiores à superioribus Angelis perfici tenendum est.

Illustria sunt ac propè infinita Angelorum officia, 20. quæ tam hominibus, quàm toti rerum universitati impendunt. Utrum verò ad procurandam homi-

Missio
An-
gelo-
rum.

num felicitatem, ac res in terris gerendas, absque discrimine mittantur omnes, an certi duntaxat ex uno ordine, vel pluribus, cæteris in cælo perstantibus? non una est omnium sententia. S. DIONYSIUS c. 13. putat supremos Angelos nunquam ad hæc infima ministeria descendere. Quod autem ad *Isa.* (c. 6.) purgandum unus ex *Seraphim* allapsus legitur, ita accipit, ut non summi ordinis quispiam munus hæc obierit, sed inferior aliquis, idcirco *Seraphim* dictus, quod propriam istius ordinis functionem gereret, ignito carbone labia Prophetæ cum perureret. Verùm ista interpretandæ ratio arbitraria videtur, & sufficiente ratione destituta. S. GREGORIUS Hom. 34. in *Evang.* solos infimos duos ordines, Archangelos & Angelos, mitti existimat; at perferendis nunciis hi adhibentur, ait enim: *Hi qui minima nuntiant, Angeli: qui verò summa annunciant, Archangeli vocantur.* Plura quippe sunt Angelorum officia hominibus impendi solita, quàm quæ solis nunciis circumscribantur. S. THOMAS I. P. q. 112. a. 4. solos quinque postremos Ordines mitti censet ad infima ministeria, superiores verò quatuor nunquam à Deo digredi, neque inferiora hæc per sese tractare; unde & priores quatuor Ordines *assistentes* (eoquod Deo semper adsistant, quin aliquando mittantur) vocat, cæteros *ministrantes*. Alii ex opposito contendunt, Angelos omnes sinè discrimine à Deo mitti, cum Apostolus ad *Hebr.* I. generatim dicat: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* loqui autem Apostolum generatim de omnibus Angelorum Ordinibus, ex eo colligitur, quia ostendere

dere

tere volebat Christum rebus creatis omnibus dignitate antecellere, praesertim Angelis, qui creaturis reliquis praestant. Imbecilla autem hujusmodi consecutio fuisset, nisi univ[er]se comprehenderet Angelos omnes absque ulla dignitatis, vel Ordinis exceptione. Unde S. ATHANASIUS *orat.* 3. contra Arianos: *Ad ministerium autem non unus, sed ex omnibus (Ordinibus) plures praesto sunt, quos Dominus, si velit, amandet.* Id ipsum confirmat S. CHRYSOSTOMUS in *Pf.* 8. scribens: *In Nativitate Christi ex omnibus Ordinibus aliqui missi sunt Angeli, dicente Propheta: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* *Pf.* 96. Missiones autem Angelorum ad ministerium aliquod exhibendum locales sunt, nec fieri queunt citra loci mutationem. *Et Angeli quidem* (ait S. ATHANASIUS *Orat.* 2. contra Arian.) *sursum deorsumque commeantes, ministros se praebent.* Et S. CHRYSOSTOMUS in *Ep.* ad Hebr. *Missus est quidem (inquit) & Filius; sed non tamquam minister, aut famulus; sed ut Filius, & Unigenitus, ejusdemque cum Patre voluntatis. Vel potius non ille est missus: quippe à loco ad locum non transiit, sed carnem suscepit. At illi loca mutant, & priora, in quibus erant, relinquentes ad alia, in quibus non erant, commigrant.*

Præcipuum Angelicæ in homines beneficentiæ munus est custodia, quam tum generatim univ[er]sorum, tum peculiariter singulorum suscipiunt. Et quidem Angelos ad custodiam aliquorum saltem hominum quandoque deputatos esse, de Fide est. Ita testatur JACOB Patrarcha *Gen.* 48. v. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Sic JUDITH euntem se, ac redeuntem